



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Adolescens Academicvs Svb Institutvione Salomonis

Musart, Charles

Dvaci, 1633

Cap. I. Æstimatio Sapientiaë.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49007](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49007)


Aestimatio Sapientia .

z.



Non est mortale quod optas.

Est aliqua gemma et rutilo pretiosius auro.



SYMBOLI EXPLICATIO.

Siste hîc iterum, amice hu-
ius Academiae hospes, siste in
ipso limine tantisper, & sa-
pientiae forum, officinam, mer-
ces demirare, singula contue-
re, suisque (vt par est) momen-
tis aestima.


Dic age; quid potissimum
amas, Adolefcens? delicias, di-
uitiasnè, an honores? an hæc
omnia? placet; ecce, nundinari
hîc licebit: habebis à sapientia
opes minimè aculeatas, volu-
ptates sinceras, honores peren-
natos.

Sapientia ipsa te vocat, &
diuinissimus pædagogus SALO-

A 2 MON,

4
MON, vt in his nundinis foelici-
tatem mercari velis, vehemen-
ter impellit: ne refuge, nec re-
spue, ne rerum cæterarum fun-
gos, fumos, quisquiliaſque de-
decorum Inſanus emptor plu-
ris æſtimes, quàm veras illas o-
pes, caſtas delicias, honores ſo-
lidos.

CA-



CAPVT PRIMVM.

Æstimatio Sapientiæ.

MONITVM.

Sapientiam pluris, quam res cæteras
æstima.

SALOMON.



*Eatus homo, qui inuenit
sapientiam: melior est ac-
quisitio eius negotiatione
argenti, & auri primi &
purissimi fructus eius: pre-
tiosior est cunctis opibus: & omnia, quæ
desiderantur, huic non valent compara-
ri. longitudo dierum in dextera eius, &
in sinistra illius diuitiæ, & gloria. li-
gnū vitæ est his, qui apprehendunt eam,
& qui tenuerit eam, beatus. Prou.3.*

*Mecum sunt diuitiæ, & gloria, opes
superbæ, & iustitiæ. melior est fructus
meus auro, & lapide pretioso, & geni-
mina*

mina mea argento electo. Prou. 8.

Omne aurum in comparatione illius, arena est exigua, & tanquam lutum aestimabitur argentum in conspectu illius. infinitus enim thesaurus est hominibus: quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei. Sap. 7.

MENTIS SALOMONICÆ

INTERPRETATIO.

§. I.

Beatitudo huius vitæ non est in diuitijs, delicijs, honoribus.

Nemo est omnino, qui beatus esse nolit: sed in quò beatitudo sita sit, non æquè omnes consentiunt. Voluptates corporis nonnulli; (atque hi ferè de Epicuri harâ) opes non pauci: qui minùs desipere sibi videntur, honores pro summo bono ducunt & amant; sed quàm longè à scopo aberrant, tu Academice Adolefcens, si modò Philosophari amas, vide. Imprimis corporearum voluptatum vel meminisse pudet. Fæda res illa & pecudum eas commendantium vox
non

non alio argumento magis refutatur: quàm ex eo, quòd ij ipsi, qui voluptates fædas confectantur, nequitiam damnantes suam, publicum & lucem fugitant: nemo enim vnus reperiatur, qui turpis & incestus velit haberi.

Nunc vero argentum, aurum, gemmæ (quas res vulgò diuitias appellant) reuera quid sunt? terra, sole obdurata, coloratum ac nonnihil splendens lutum; cui errori sola raritas pretium dedit: nam etiam hæ quisquilæ, vbi in copia sunt, vilescunt; denique honor, qui pluris fieri solet, opinio est aliorum, & plerumque inconstantis atque imperitæ multitudinis. Hodie te efferent in cælum, cras ad sepulchrum: lentum est cras, sæpe eodem, quo euehunt, momento proturbant. Iam jo triumphæ, ad curulem, ad sceptrum: mox ad columnam Mœniam, ad scalas Gemonias, ad Crucem, & coruos occlamant. Lege sacras tabulas. Christus in urbem Hierosolymitanam triumphæ pompâ inuehitur: post quinque dies ignominiosæ cruci affigitur. Quod autem hic de honoribus dico, idem de diuitijs paulò antè dictum oportuit: nihil opibus quoque velocius, fugacius; vix ceperis; auolant, nimirum à fortuna ad horam homini commodan-

tur mox reperendæ, imò eripiendæ: ita fit modò Irus, modò Cræsus: quoties id spectatû? Ne igitur crede veras voluptates, opes fixas, solidos honores in hac vitâ vsquam reperiri posse.

§. II.

Beatitudo huius vitæ in solius sapientia sinu reperitur.

IMò verò, mi Philosophe Adolescens, hîc beatitudinem aliquam reperiri posse puta: sed non nisi in sapientiæ arca, penu, sinu. Audi Salomonem: *Beatus homo, qui inuenit sapientiam. Melior est acquisitio eius negotiatione argenti, & auri primi: pretiosior est cunctis opibus & (quod Hebræa vox sonat) omnibus gemmis,* denique quæcunque ab homine sordidè auaro desiderantur, aut desiderari possunt, vni sapientiæ non valent comparari: nimirum eæ potissime, & propè solæ diuitiæ habendæ sunt, quibus non arcula, sed animus diues est; quas eripere Bianti Philosopho non modò incêdium, sed ne mors quidem potest. Quare sapienter fecisse censendus est Crates ille Thebanus, qui cùm omnem substantiam in pecuniam redegisset, apud Trapezitam depo-

Laërtius
lib. 6. de
vitis Phi-
lo.

deposuisse dicitur hac lege: vt si filij Philosophi euaderent, illam egentibus ciuibus distribueret; nihil illis egere Philosophos arbitratus: si verò sine Philosophia remaneret, redderet illis depositum: vt vacuis virtute saltem opes opitularentur. Iam si querantur honores, æquè in manu solius sapientiæ reperies coniunctam cum diuitijs gloriam, & quidem immortalem: *in sinistra enim illius diuitia & gloria: longitudo autem dierum in dextera eius.* illi namque soli veri honores æstimandi sunt, qui ab ore & infano hominum iudicio, vulgi, improborumque hominum non pendent: quos viri boni & beatæ mentes & Deus ipse viuis mortuisque sapientibus deferunt, & qui ne longitudine quidem æternitatis emoriantur, aut flaccescant. Atque voluptates etiam suas, non eas, quæ belluinæ sunt ac longe infra hominis dignitatem collocatæ: sed tamen suas etiam animi delicias melioresque illas ac puriores habet, & in sui amatores profundit sapientia. *Purissimi fructus eius: lignum vitæ est his, qui apprehendunt eam.* Collige tu mihi tantum hæc paradisi poma & primis saltem labris attinge: nægo vehementer decipior, nisi esu, vsuque ipso disces, dicetque vnà mecum, nihil non modò sapientia

piencia

pietia diuitijs esse opulentiùs, nihil ipsius gloriâ splendidiùs: sed nihil quoque reperiri vsquam posse eius delitijs aut liquidius aut suauius. Quid his te ego diutiùs teneo? verbulo omnem sapientia estimationem habe. *Qui tenuerit eam, inquit sapiens, Beatus.* Cum enim beatitudinis nomine omnium bonorum cumulus contineatur: ei, qui sapientiam sibi compararit, nihil quod bonum appetendumque sit, deesse potest. Quare eò etiam pertinent illa. *Omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & istud breue acroama, quo veluti Epilogo omnia concluduntur, mecum sunt diuitie & gloria, opes superba ac iusticia.*

§. III.

Paria Salomoni docet Plutarchus lib. de liberis educandis.

PLacet post Salomonem Plutarchum quoque consimilia docentem tantisper audire. Hic in libello de educatione liberorum, cum primum, medium, a. que postremum esse virtutem asseuerasset, dixissetque eruditionem ad virtutem ac beatitudinem plurimum adferre adiumenti, cætera bona pusilla esse ac indigna,

gna, quæ tantis studijs infectemur: pergit deinde strictim expendere singula, pulchram scilicet videri nobilitatem: sed maiorum potius, quàm bonum nostrum existere; pretiosas haberi diuitias: verùm eam fortunæ esse possessionem facinorosis & calumniatoribus expositam, quoties (vt ipse loquitur) *loculos sagittarint, adori-riq; concupiuerint*: Similiter gloriam venustam quandam rem esse, formam præterea præcipuum quiddam & pro qua vendicanda magnopere decertetur: sed, vt res cæteras, inconstantem & caducam. hæc deinceps subiungit. *Nostris autem in rebus sola & immortalis & diuina est eruditio. Ex vniuersis duo humana natura perquam peculiaria bona sunt, intellectus & ratio. Hanc nullus fortuna tollet incurfus, nulla calumnia distrahet: non ægritudo corrumpet, neque senectus. Bellum singula torrentis instar irahens, & omnia ferens solam doctrinam nequit eripere.* Laudat postea Stilponem Megarensium Philosophum, quòd Demetrio post captam soloque equatam urbem roganti, num quidquam suorum amisisset: ita responderit *Haud equidem amisi: bellum enim nulla ex virtute spolia dicit.* addit denique Socratis propè par dictum; quem cùm Gorgias percunctaretur, an Persarum regem felicem putaret?

N. scio,

Nescio, respondit, quantum ille habeat virtutis, ac disciplina: perinde ac in hisce, non vero in fortuna bonis persistat beatitudo. Atque ista omnia sapienter profecto Plutarchus eo loco, atque ex Salomonis mente: ut pleraque in moralibus.

§. IV.

Quanti viri Maximi sapientiam aestimauerint.

PORRÒ quàm magni sapientiam, eiusque studium estimauerint viri omnium hominum memoriâ præstantissimi, ex scriptis intelligitur: quibus eam posteris commendarunt. *Sapiens (ut docet Seneca) vicinus, proximusq; dijs consistit, exceptâ mortalitate similis Deo.* Idemque contendit solam sapientiam esse libertatem; quasi serui sint omnes, qui ea careant. Cicero sanè ex Stoicorum placitis fortiter egit; ut probaret sapientes omnes esse liberos. In officijs verò *quid est, ait, per Deos, optabilis sapientia? quid præstantius? quid homini melius? quid homine dignius? hanc igitur qui expetunt, Philosophi nominantur: nec quicquam aliud est philosophia, si interpretari velimus, quàm studium sapientia.* Sed hæc, verè, aliaque omnia, quæ de hoc argumento fuse dici possunt, Iustinus Philosophus & Martyr breui hac sen-

Epist. 73.
ad Lucium.

Cic. in
Parad.

Lib. 2. of-
fic.

sententiã videtur complexus. Est, ait, Philosophia maximum bonum, & possessio, & apud Deum venerabilis, quæ ducit nos ad eum, & sufficit sola, & sancti beatiq̃ue illi qui mentem ei donant. Quæ cum ita sint, existimandum est (quod viri doctissimi tradunt) alias inferiores scientias, quas humaniores litteras appellamus, non aliter neque diutiùs esse pertractandas: quàm ut animum ad Philosophiam parent, *Amaniora ista artium* (scribit Lipsius) nos quidem probamus, & illo velut vomere proscindi hoc animi solum & preparari ad sementem cupimus. Sed preparari: vera autem fruges, Philosophia est, cætera herba & flores. *Seria* (ait idem) post illa ludicra addantur, & non serò; quid in littore conchas & lapillos legimus? *Venti vocant, navis oram soluit. Recipe te ad sapientiam, & in ea, ut in beato tranquilloq̃ portu, consistite.* Hauserat ista opinor Lipius ex suo Seneca. *tandiu* (Senecam cito) *istis immorandum est, quamdiu nihil agere maius animus potest: rudimenta sunt nostra, non opera, rudimenta tamen utilia sunt; ut substructiones quedam ne aliqui istud Xenocratis cuiusdam amuso & rudi aspersum acetum effundatur, Abi, abi non enim ansas habes Philosophia: ita enim ille litteras humaniores appellabat, Philosophia ansas: sed ansas tantum. Quæ utinam perpenderent Adolescentes illi, qui cum*

In manu-
duct. cap.

Ibidem
Lipius.

Epist. 88.
apud Lipi.
sup. cap.

in ansis, id est, litteris humanioribus tenendis quinquennio, sexennio, eoque plus animum contriuerint: tempus operamque se perdere credunt; si biennium aut triennium Philosophiæ ipsi comprehendendæ concedant. Videamus, quàm aliter sibi faciendum esse viri omni ætate maximi censuerint. *Magno*, ait *Lactantius*, *Et excellenti ingenio viri, cum se doctrina penitus tradidissent, quidquid laboris poterat imperdi, contemptis omnibus & publicis & privatis actionibus, ad acquirendæ veritatis studium contulerunt, existimantes multo esse præclarius humanarum diuinarumque rerum inuestigare & scire rationem: quam aut strenuendis opibus, aut cumulandis honoribus inharere: nam & abiicisse quosdam res familiares suas, & renuntiasse vniuersis voluptatibus constat: ut solam nudamque veritatem nudi expeditique sequerentur. Addi potest, plurimos quoque fuisse, qui sapientiæ comparandæ studio partim in longissimis itineribus, partim in grauissimis laboribus ætatem consumpserint. Omitto hîc Pythagoram, Platonem, aliosque à religionis Christianæ professione, alienos, quòd nostrorum hominum exemplis minimè ipsi careamus: quos quia sigillatim commemorare longum esset, omnium instar sit è Capadocia magnus ille Gregorius Nazianzenus.*

Præfa. de
fals. Re-
lig. lib. 1.

Ex vita
ipsius.

Partibus Christianis oriundus is fuit, non opibus magis, quàm moribus claris. Adolefcens litterarum amore incensus, Cæsaream primùm, musarum id temporis sedem est profectus: hîc præstantium magistrorum consuetudine plurimùm vsus, non exiguam puerilis doctrinæ suppellectilem collegit: inde, vt oratoriam artem condisceret, in Palestinam porrò concessit, atque hinc Alexandriam adijt, quâ in vrbe cùm multùm politioris literaturæ sibi comparasset, tandem Athenas in optimam omnium disciplinarum Academiam, post fœdissimas tempestates enauigauit: ea in ciuitate Basilio, alijsque excultissimis viris potitus tantam in omni eruditionis genere facultatem est adeptus: vt dignus haberetur, qui eloquentiæ artem traderet.

Atque annum iam propè trigesimum studendo, peragrandoque confecerat: cùm ex doctâ peregrinatione ad suos reuersus, perinde ac si hæctenus nihil profecisset, diuiniorem Christianæ sapientiæ partem, quàm hucusque ferè neglexerat, ita ardentè optare atque insequi cœpit: vt eius potiundæ studio, vrbes, forum, theatra, sophistarum turgentem fastum, principum ac magistratum insolentiam, diuitum arrogantiam, gloriam fluxam ac fragilem, magnificas ve-

stes, auro atque argento nobilem supellectilem, picturâ & tabulis illustres porticus; ceteraq; decora, quæ potèntiam animis obcludere solent, generoso fastidio contemneret, quod in illius vita grauis author tradidit. Quàm deinceps in eremi recessu diligentiam assiduitatemque sacrarum literarum studio adhibuerit, quibus se vigilijs, curis, laboribus enecauerit, longum esset percensere. atque ista ferè pro instituto sufficiunt. Agedum, Academice Adolescens, an vir ille tantus, alijque eiusdem mentis quamplurimi, tot tamque molestas peregrinationes suscepissent, tot, tamque splendida familiæ ornamenta abiecissent, tot denique se studiorum curis sponte confecissent, nisi duxissent sapientiam esse diuitijs, delicijs, honoribus, ceterisque rebus, quas vulgus amat, longè præstantiorem?

Sapientiam igitur & tu eodem loco, pari que in pretio habe, plurimum profecto id tuâ interest: facile difficultates, quæ plurimæ passim ad magna contendibus occurrunt, calcabis, ridebis, imò spòte adibis: si id tibi habueris persuasum, quod Salomon hic monuit in vnus possessione sapientiæ omnem, quæ in mortali quidem vitâ reperiri possit, fœlicitatem esse constitutam. GRA

ORATIO.

*Pro obtinenda æstimatione veræ
sapientiæ.*

CLamabat, sapientissime IESV, ad te
olim cæcus secus viam sedens; IESV
fili David miserere mei, neque aliud tum
petebat, nisi vt videret lucem hanc bre-
uem & subdolan, quam quotidie nox
rollit, & atræ plerumque nebula obscu-
rant: Ego verò ad te clamo ex intimis
præcordijs: vt te aspiciam solem iustitiæ,
lumen indeficiens. Igitur, sapientia æter-
ni Patris, ac splendor gloriæ eius; claude
obsecro oculos meos, ne videant vanita-
tem: aperi, vt veritatem videam. Cæci
mortales bona huius mundi, quæ bona
non sunt, & inter quæ orientia morien-
tiaque vix momentum intercurrit, tanto
studio sectamur & quæ æterna sunt, ac
vera bona negligimus: quæ verò ista est
filiorum Adam aut stupiditas, aut amen-
tia? Da mihi, bone IESV, ô meum omne
bonum; da mihi per tuam lucem, & gra-
tiam: vt ista vana respuam, sapientiam
autem, id est, te ipsum sapientiam increa-
tam supra res omnes æstimem, qui es
Deus meus & omnia. Amen.

B

SYM-